

<p>Ante primam horam L. Rasinius Pisanus nonnullos servos in viam Biberaticam ducit. Servorum enim est et <i>tabernam</i> novam parare et merces tempore apportare. Dominus hodie <i>statuas</i> et <i>vasa</i> exspectat.</p>	
<p>Haec ex Etruriä, illae e Sicilia importantur; itaque Rasinius quattuor servos ad Portam Flaminiam, quinque ad <i>portum</i> mittit. Dominus in <i>taberna</i> manet et opera reliquorum servorum custodit: <i>Taberna purgatur, ianua ornatur, stercus e via removetur.</i></p>	
<p>Prima hora <i>carrus</i> in via videtur; <i>mulis</i> ad <i>tabernae</i> ianuam trahitur. Sine mora <i>vasa</i> a Rasinio magna cum diligentia probantur. Et dominus et servi cuncta <i>intacta</i> esse gaudent; saepe enim <i>vasa</i> in via franguntur, tum <i>quaestus</i> Rasinii minuitur et servi a domino puniuntur.</p>	<p><i>ad portum</i>: zum Hafen <i>amphora</i>: Amphore <i>carrus</i>: Karren</p>
<p>Secunda hora Priscus servus in <i>taberna</i> apparet et clamat: „Domine, domine! Statuae reperiri non possunt! Veni mecum ad Tiberim! Tu ibi a nautis exspectaris! Illi enim dicunt in nave sua esse <i>amphoras</i>, non <i>statuas</i>!“</p>	<p><i>intactus, -a, -um</i>: unbeschädigt <i>iussisti</i>: du hast befohlen <i>mehercle</i>: beim Herkules!</p>
<p>„Nullasne <i>statuas</i> in nave esse dicis? Num me <i>fallis</i>?“</p>	<p><i>mulus</i>: Maultier</p>
<p>„<i>Mehercle</i>! Crede mihi: <i>statuae</i> in nave non sunt. A me numquam falleris!“ - „Ergo a nautis decipior!“ - „Veni, domine! Iam diu exspectamur. Nam domini est cum nautis de re agere.“</p>	<p><i>purgare</i>: putzen <i>quaestus</i>: Gewinn <i>stercus</i>: Schmutz <i>taberna</i>: Laden</p>
<p>Statim Rasinius iubet <i>tabernam</i> custodiri neque <i>vasa</i> tangi; tum ceteros servos relinquit et cum Prisco servo ad <i>portum</i> contendit. Priscus dominum ad magnam navem ducit; ibi ceteri servi cum nautis disputant. Hoc loco Rasinius consistit et clamat: „Num a vobis fallor? Cur hic statis? Num hic exspector? Nonne scitis <i>statuas</i> meas illa nave parva <i>transportari</i>? Cur verba mea numquam audiuntur? Prisce, servus malus es! Servi boni est et audire et intellegere et parere!“</p>	<p><i>transportare</i>: transportieren <i>vasa, -orum (Pl.)</i>: Gefäße</p>
<p>Priscus autem se defendit: „Saepe a te recte moneor; sed hic multae naves sunt. <i>Iussisti</i> navem AEMILIAM quaeri. Ecce nomen! Haec magna navis AEMILIA nominatur.“</p>	
<p>Tum dominus ridet et dicit: „Videte, illa quoque parva AEMILIA nominatur. Multae naves hoc nomine vocantur. Nonne <i>statuas</i> in illa nave videtis? Etiam hinc conspiciuntur. A nautis illius navis iam vocamini! Nolite cessare! Vestrum est cunctas <i>statuas</i> magna cum celeritate in <i>tabernam</i> <i>transportare</i>!“</p>	